

**Ad dijudicandam affectionem hepatis syphiliticam supplementa  
fragmentaria proponit : dissertatio inauguralis pathologico-anatomica ... /  
publice defendet auctor Fridericus Boehmer ; opponentibus Th.  
Petruschky, F. Hoppe, R. Spiegelberg.**

### **Contributors**

Boehmer, Friedrich.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Berolini : Typis Gustavus Schade, [1852]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ehaydpwt>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

H  
18

AD DIJUDICANDAM  
**AFFECTIONEM HEPATIS SYPHILITICAM**  
SUPPLEMENTA FRAGMENTARIA  
18

PROPONIT

**DISSERTATIO INAUGURALIS**  
PATHOLOGICO - ANATOMICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
**FRIDERICA GUILLEM**  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE SIBI CONCEDANTUR  
DIE XVI. M. JULII A. MDCCCLII.  
PUBLICÉ DEFENDET  
AUCTOR  
**FRIDERICUS BOEHMER**  
POMERANUS.

---

OPPONENTIBUS:  
TH. PETRUSCHKY, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.  
F. HOPPE, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.  
R. SPIEGELBERG, STUD. JUR.

---

BEROLINI  
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

AD DILECTISSIMAM  
URBEM VENETIAE SUPPLYCIA  
SUPPLEMENTA REVREMONTARIA  
PROPOSITA  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
PATHOLOGICO-ANATOMICA  
DE  
CONSENSU ET AUTHORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
ALIA LITTERARION UNIVERSITATIS  
SOCIETATIS ET GALLERIAE  
UT SEDIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
TITLE SIBI CONCEDUNTUR  
DIE XXV. IULY. A. MDCCLXII  
MORICZ DEPARTMENT  
AUCTOR  
KRIEGERICUS RÖHMNER  
LONDINIENSIS

OTTONIANITAS  
TH. PETTERSONI, MD, ET CAND. AC., MED. LUD.  
E. HOPPE, MD, ET CAND. AC., MED. HAB.  
R. SPRINGER, MD, JUR.

BERROLINI  
1772 EDITIONE SECONDA

PATRUO

OPTIMO DILECTISSIMO

AUGUSTO STEFFEN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD  
SEGINENSIS, REGI A CONSILIIS MEDICIS ETC.

HASCE

QUALESCUNQUE STUDIORUM SUORUM

PRIMITIAS

OFFERT

AUCTOR.

## INTRODUCTIO.

---

Per Ephemerides Pragenses (Prager Viertel-jahrsschrift. Bd. XXI und XXVI) Dittrich duas evulgavit **commentationes**, quae de „mori<sup>bi</sup> syphilitici processu in hepate“ agunt.

Non tironis est, processus illius pathologici naturam penitus illustrare; qui enim tale quid conatur, anatomiam hepatis pathologicam amplae et exactae epicrisi submittat oportet, quem ad finem et majoribus ingenii viribus et observatio-num ubertate opus est.

Itaque fragmenta tantum fragmentorum operis amplioris lectoribus offero, ad quod exarandum **commentationes a Dittrich in lucem editae ani-**

mum meum invitarunt. Ceteroquin, quum scribendi consilium caperem, institutioni antiquitus traditae satisfacere placuit, quae specimen litterarum, etsi partus sit praematurus, propalare me jubet.

**A**nni superioris tempore autumnali in primo clinico ob-  
stetricio Vindobonensi occasio mihi obtigit, sectionem pueri  
recens nati intuendi, qui protinus post partum levia qui-  
lem vitae indicia ediderat, elapso autem horae quadrante,  
postquam medici varia praesidia incassum experti erant,  
animam exspiraverat.

Infans perspicue matus erat et legitimo tempore  
editus, magnitudine insignis normali et, quamquam haud  
plenus, mediocriter tamen nutritus. Specificus faciei ha-  
bitus, ut parvi senis (petit vieillard), non animadvertebatur;  
ortasse atrophiae gradus ad habitum illum necessarius  
efecit, fortasse equidem mysterioso illi phaenomeno fidem  
non habui.

Abdomen, in primis hypochondrium dextrum, admodum  
nit inflatum, hepate nimirum intense amplicato, id quod  
am percussio post mortem instituta docuit.

Cutis quod ad cetera normalis, in utroque crure, pe-  
num plantis et brachiis plures vesiculas, alteram juxta  
literam positas, satis magnas, luteo humore impletas, li-  
ida areola circumdatas ostendit, quae auctore Ricord

— deficientibus autem debitibus argumentis — Pemphigum syphiliticum constituunt (Sitzg. der Acad. d. Medic. zu Paris. August 1851).

Fauces, ossa nasi perinde ac reliqua ossa, oculi et aures infantis nihil anomali obtulerunt. Pari modo vena et arteriae umbicales cum norma consenserunt.

Cerebrum intensam hyperaemiam pree se tulit, quae hocce in casu pro mortis causa habenda videbatur.

Pulmonum ea fuit indoles, quae in atelectasi; plane abfuit affectio illa pustulosa a Depaul memorata, quoniam, uti contra auctoritatem hujus viri existimo, pyaemia locum non habuerat (Cf. Bulletin der anatom. Gesellsch. zu Paris. 1837. — Sitzg. der Paris. Acad. der Medic. August 1851).

Ex eadem haud dubie causa, quamquam Dubois refragatur, glandula thymus neque purulentam infiltrationem neque focus purulentos, sed indolem normae plane consentaneam exhibuit (Cf. Dubois, Monographie über Eiter in der Thymus. 1850, und Sitzg. der Paris. Acad. der Medic. August 1851).

In ventris cavitate aliquot drachmae seri turbidi, minime vero pseudomembranae intestina tegentes inveniebantur. Hepar, duplo magis solito, in sinistrum hypochondrium porrigebatur, neque adiposam neque lardosam infiltrationem offerebat; parenchyma ejus atro - rubicundum magis fragile quam tenax, genuina hypertrophia excelleret videbatur (Rokitansky).

Per totum fere diametrum lobi hepatis dextri dustrata cellulo - fibrosa, lineae albae circiter parallela, per digitii latitudinem inter se distantia, plures pollices extensa, nunc aliquot lineas nunc complures crassa decur-

rebant, quae a medio inde lobo ad involucrum hepatis usque pergebant.

Iisdem locis involucrum hepatis peritonaeale crasse-scens, turbidum, per pseudomembranas admodum recentes diaphragmati affixum leviterque introrsum fuit distractum, ita ut duo sulci satis plani, utriusque illi strato respondentes, abnormi peritonaeo vestiti, in lobi hepatis dextri superficie erant exorti, quibus finitimum parenchyma vix tribus colliculis omnino planis proeminebat. Species fere ea apparuit, tanquam prius instrumento acuto incisurae duae satis altae ibi ductae et angusta cicatrice, involucrum peritonaeale paulo introrsum distrahente, conglutinatae essent.

Ceterum vestigia leviora telae conjunctivae recens formatae, turbationis et incrassationis capsulae, in aliis etiam hepatis locis deprehendebantur.

Quod si ab exigua formae variatione modo memorata discedamus, hepar amplificatum satis exacte normalis jecinoris figuram imitabatur, nec dicere quisquam poterat, ambarum ejus diametrorum (Rokitansky) alterutram admodum manifeste eminuisse.

Tela pathologica cellulo-fibrosa fuit, indolem habens infra describendam, consistentiam minorem. Venae portarum ramis obturatis nec insidebat, neque exsudati reliquias rudes, capsula circumclusas, quas Dittrich descripsit, continebat. Microscopico autem examini submissa magnam elementorum telae cellulosae recentis ubertatem ostendebat, quae caudata et enucleata instar cellularum carcinomatosarum, quae dicuntur, sese habebant.

Reliqua omnia infantis organa, singulatim lien atque renes, anomaliis plane destituebantur.

Partus praevio capite sine artis auxilio erat peractus, graviditatis et tempus et decursus normae penitus responderant. De priore affectione syphilitica matris, juvenis et primiparae, anamnesis debita cum diffidentia explorata nihil certi edocuit; instituta autem locali exploratione, cicatrices recentes radiatae circa vaginae introitum, nec non in faucibus reperiebantur.

Adnotare demum liceat, virum clariss. Dittrich, tunc temporis Vindobonae commoratum, hepatis affectionem supra descriptam, quae foetum utero inclusum tentaverat, pro syphilitica habuisse.

Qui casus quum attentionem meam excitasset, complures sectiones infantium neonatorum, qui syphilitic putabantur, praecipue in brephotrophio Vindobonensi, institui. Qui infantes, dum vivebant, aut affectiones obtulerunt, quae apud adultos etiam syphiliticae existimantur e. gr. ulcera; etc. aut morborum formis quibusdam obnoxierant, quas, apud adultos nihil analogi habentes, syphilicas designare consueverunt nostrates, quales sunt Pemphigus, Coryza sine carie; etc. aut denique vivi infante nullam aegrotationum dictarum prae se ferebant, sed matre eorum ex instituto obstetricio inter syphilide laborante merito erant delatae.

De patribus infantium nihil in brephotrophiis innotescit, quod ad dijudicandam syphilidis transpositione hereditariam a patre pertineat, si nempe medici brephotrophio praefecti hanc opinionem profitentur.

Equidem apud omnes ejusmodi infantes, quorum mo per se haud raro a syphilodologis tanquam mysterio

syphilidis sequela proclamat, nunquam non mortis causas (hyperaemiam cerebri, exsudata intra cavum crani vel in intestinis, pneumoniam, pyaemiam ex umbilici suppuratione profectam etc.), minime vero illam hepatitis affectionem rursus inveni, quam Dittrich dyscrasiae syphiliticae efficacitate inductam existimat.

Hepar infantium illorum aliam habere indolem magis minusve constantem (ut infiltrationem adiposam aut lardaceam, ubertatem telangiectasiarum etc.), persuadere mihi non potui.

Ingenue tamen fateor, meas observationes et numero et dignitate nihil aliud esse, quam additamenta exigua ad largiorem experientiae thesaurum. —

Gubler, uti Behrend refert (Behrends u. Hildebrand's Journal für Kinderkrankheiten. Heft 1 und 2 Jul. Aug. 1851), ante triennium ad degenerationem hepatitis fibroso-plasticam animos attendit, quam saepius apud infantes se observasse tradit, qui cum syphilide nati aliquamdiu demum post partum symptomata ejus obtulerint (!), et Depaul, affectionis pulmonum syphiliticae inventor, similia sibi obvenisse nuntiat.

Facile autem intelligimus, effata illa nimis esse generalia, quam ut certi aliquid ex iis ratiocinari liceat.

Trousseau (Cf. Behrend's Journal Pag. 85 und 86) sub finem egregiae adumbrationis syphilidis neonatorum adnotat, hepar infantium syphiliticorum, ante haud longum tempus editorum, saepe colorem corii solearis tantamque duritiem obtinere, ut difficulter possit discindi. Adhibito microscopio cognosci, ait, vasa oblitterata aut quasi (!) lympha plastica esse compressa, quae circum ea effusa videatur. Prognosin a gradu hujus affectionis hepaticae

pendere et hanc ipsam esse sequelam universae dissolutionis sanguinis, profitetur.

Largiri tamen oportet, Trousseau in describenda hacce affectione hepatis non eam exhibuisse diligentiam, quam exponendis reliquis neonatorum morbis syphiliticis impenderit.

Ex iis enim, quae Trousseau apposuit, nequaquam elucet, utrum hepatis aegrotatio, ab ipso observata, lardacea ejus infiltratio, an telae cellulo-fibrosae formatio, num alia quaedam conditio fuerit pathologica.

Directis igitur neonatorum observationibus affectio hepatis a Dittrich descripta juxta processus syphiliticos sic dictos apud parentes vel ipsum infantem tantummodo in casu supra prolixius exposito, ut videtur, commonstrata est.

Meditemur autem oportet, pemphigi naturam syphiliticam maxime ambiguam, neque minus diagnosin syphilidis e cicatricibus radiatis incertam atque anticipitem esse.

Vix igitur et ne vix quidem sincerae disquisitionis litterariae esse videtur, ejusmodi casum singularem sine penitiore perscrutatione affectionis syphiliticae hepatis adulorum ad constituendam doctrinam de neonatorum syphilide sufficientem existimare.

Consideratis tamen syphilidologiae neonatorum miraculis, nullus dubito, quin alter, visum repertum supra appositum interpretaturus et viri clariss. Dittrich auctoritate seductus, doctrinam de syphilide foetus in utero confirmari existimet, alter syphiliticam indolem affectionis hepaticae pemphigi praesentia comprobari putet, tertius

syphiliticam pemphigi naturam e synchronica affectionis hepaticae praesentia, quartus venereum conditionem utriusque aegrotationis e matris syphilide, quintus syphilidem matris, imo adeo, si opus sit, patris ex illo processu pathologico dignoscere studeat, sextus artificiis dialecticis argumentari studeat, syphilidem a parentibus ad prolem transire posse etc. etc.

Leves tantummodo istae sunt metatheses disciplinae, quae nunc hereditatem ex dyscrasia, nunc dyscrasiam ex hereditate dedit.

Unumquemque logices studiosum sanaeque rationis amicum interrogatum velim, numne recens ista neonatorum syphilidologia labyrinthum exhibeat ratiociniorum orbem descriptentium et sententiarum debitam epicerisin haud sustinentium, cuius ex ambagibus evadere tantum possimus, si persuasum habeamus, syphilidem foetus in utero hucusque nonnisi merae hypothesi superstructam esse.

Quae vero si probe pensitaveris, tamen visum repertum supra appositum non parvi, sed tanti adeo, ut evidens argumentum syphilidis secundariae congenitae in eo inesse censeas, aestimandum foret, dummodo revera hepatis affectio a Dittrich descripta morbus singularis, ab aliis jam cognitis differens, et plus quam commercium ejus accidentale cum adulorum syphilide probari posset.

In auxilium vocata statistice, quae in universum quatuor et septuaginta casus exhibit, Dittrich in commentationibus relatis tale commercium demonstrare studuit.

Viri clariss. Dr. Sigmund benevolentia copiam mihi fecit, observationibus illis similes aliquot, nondum evulgatas, adjiciendi.

Dr. Sigmund nimirum intra novissimum triennium, quo syphilidoclinicen in nosocomio Vindobonensi communi moderatus est, hepatis affectionem a Dittrich memoratam cum aegrotationibus syphiliticis secundariis in quatuordecim observavit casibus, quos in quinque ordines redigere placet.

### I. Cum syphiliticis ossium affectionibus.

1. Sutor duorum et triginta annorum, statura brevis, obesus, ossibus validis, fusco cutis colore insignis, quater ulceribus syphiliticis, ultima quidem vice anno vitae tricesimo per quatuor menses laboraverat et cauterisationem sustinuerat. Tricesimo secundo aetatis anno tophi tibiae, nec non costae tertiae quartae et quintae lateris dextri emerserunt. Obiit febri scarlatinosa. Facta sectione hepar normali haud majus, sed durum inveniebatur; parenchymati ejus interspersae erant massae telae conjunctivae, resistentiam offerentes scirrhosam. (Cf. Dittrich).

2. Calathorum textor unius et quadraginta annorum, brevis, macer, musculis praeditus firmis, colore lurido, semel ulcera syphilitica anno vitae nono et tricesimo passus erat, contra quae et interne et externe hydrargyrum per tres menses et dimidium adhibebatur. Anno aetatis quadragesimo primo tophi exorti sunt ossis frontalis et parietalis, jodo curati. Quum cholera mortem induxisset hepar idem, quod in casu 1, reperiebatur.

3. Cellarius undeviginti annorum, brevis, macer, musculis ossibusque infirmis instructus, cutis colorem offerens flavum, quater syphiliticis ulceribus aegrotaverat, quae postremo hydrargo curabantur. Undevicesimo vitae anno

tophi ossis frontis, ulnae, tibiae extiterunt, qui jodo impugnabantur. Meningitis mortem intulit. Hepar ut in casu 1.

4. Barbae tonsor, duos et triginta annos natus, statura mediae, macer, imbecillis musculis ossibusque conspicuus, colore cutis flavo, ter ulcera syphilitica, ultima vice anno aetatis undetrigesimo, sustinuerat, quae nunquam non cauterio, sicut decocto Zittmanni aut Pollini impugnabantur. Ab anno vitae decimo nono topi ossis frontis, ossium parietalium, tibiarum, vehementes dolores osteocopi irruerant, quibus inflictiones unguenti mercurialis et jodum opponebantur. Periit pleuritide. Hepar solito minus fuit, tuberibus pugni magnitudinem habentibus obsitum, eo exortis, quod ejus superficies telae conjunctivae massis introrsum distracta erat; reliqua ut in casu 1.

## II. Cum syphilide cutanea.

5. Textor quadraginta septem annorum, procerus, macer, firmis praeditus ossibus, colore cutis sordido-flavo. Vitae anno quadragesimo quarto ulcera passus erat syphilitica, ad quae tollenda externe cauteria, interne hydrargyrum bichloratum corrosivum adhibebantur. Quadragesimo vitae anno syphilis pustulosa, condylomata lata, rhagades accesserunt, quibus omnibus kalium jodatum medebatur. Mortem intulit typhus. Hepar tertia parte minus inventiebatur normali; reliqua ut in casu 4.

6. Sutor unum et quinquaginta annos natus, procerus, macer, infirmus, colore lurido conspicuus, bis ulceribus syphiliticis, secunda vice anno vitae quadragesimo octavo per sex menses, aegrotavit; curatio adhibita est nulla.

Aetatis anno quinquagesimo syphilis pustulosa intravit et ex pustulis ulceræ syphilitica secundaria crurum, per annum et semestre persistentia, emerserunt, quae jodo curabantur. Exstinctus aeger est typho. Hepar ut in casu 1.

7. Pictor septem et viginti annos natus, statura mediae, macilentus, pallidus. Anamnesis nil docuit; in glandis penis dorso cicatrices apparuerunt. Ab anno vitae vicesimo quinto inde psoriasis, condylomata lata scroti et intestini recti extiterunt, quibus opponebatur jodum. Aeger cholerae succubuit. Inveniebatur obsoleta pulmonum tuberculosis; hepar, normalem circiter magnitudinem habens, idem fere, quod in casu 4.

### III. Cum syphilitica ossium affectione et syphilitide cutanea.

8. Mercenarius annorum sexaginta unius, procerus, macer, infirmus, colore cutis flavo, nullam edidit anamnesin. Cicatrices adfuerunt internae praeputii superficie, perforationes ossis frontis et ossium bregmatis, cicatrices frontem obsidentes. Interiit pulmonum tuberculosi. Hepar ut in casu 4.

9. Infans hortulani annum et trimestre natus, parvus, admodum macilentus, pallidus; momenta anamnestica neque de infante neque de parentibus erui poterant. Inveniebantur topi omnium ossium tubulosorum, psoriasis, rhagades; hydrargyrum interne et externe, nec non inflictiones unguenti mercurialis frustra adhibebantur. Mors diarrhoea et anaemia inducebatur. Lien debito minor, textura ejus tenax, hepar ut in casu 4.

**IV. Cum syphilitica affectione ossium et fau-**  
**cium.**

10. Foemina octo et quinquaginta annorum, manu  
 victum quaerens, parva, macilenta, imbecilla, lurida, nihil  
 momentorum anamnesticorum edidit. Labia pudendi minora  
 inveteratis cicatricibus obsita, glandulae inguinales durae,  
 amplificatae, os frontis ossaque parietalia, nec non pala-  
 tum molle perforata apparuerunt. Hydrargyrum bichlorat-  
 um corrosivum interne adhibebatur. Dysenteria et anaemia  
 mortem intulerunt. Hepar, fere normalem habens magni-  
 tudinem, ut in casu 4.

11. Juvenis duorum et viginti annorum, apud coctorem  
 servitia faciens, brevis, macer, imbecillus, luridus, hydropi  
 obnoxius, de praeteritis nihil retulit. Cicatrix apparuit  
 circa urethrae radicem. Ab anno aetatis inde duodevi-  
 cesimo tophi occupabant tibias, septum narium destructum,  
 palatum molle perforatum erat. In usum vocabatur jodum.  
 Aeger periit anaemia. Dispersa pulmonum tubercula re-  
 periebantur, hepar fere normalem aequans magnitudinem,  
 ceteroquin ut in casu 4.

**V. Cum syphilitica faucium affectione et syphi-**  
**lide cutanea.**

12. Aurifex unius et triginta annorum, macer, imbe-  
 cillus, pallidus, scrophulosus, anno vitae undevicesimo  
 et vicesimo sexto ulceribus syphiliticis laboraverat, quae  
 cauteriis curabantur. Ab anno vicesimo septimo ad tri-  
 cesimum primum ulcera faucium, adenitis cervicalis, psoriasis  
 exstiterunt, quae interno hydrargyri bichlorati cor-  
 rosivi et jodi usu impugnabantur. Obiit acuta pulmonum

tuberculosi. Hepar fere duplo majus erat debito, ceteroquin ut in casu 4.

13. Pedissequus septem et quadraginta annorum, statura mediae, bene nutritus, firmus, sano faciei colore insignis, ter ulceribus syphiliticis, ultima quidem vice anno vitae quadragesimo quinto, aegrotaverat et cauteriis usque hydrargyri interno curatus erat. Aetatis anno quadragesimo sexto faucium ulcera et psoriasis eruperunt, quibus inflictiones unguenti mercurialis et jodum opponebantur. Pneumonia mortem intulit. Hepar ut in casu 1.

14. Infans biennis viri magistratu fungentis, parvus, macer, pallidus erat. Mater puerperii tempore labiorum pudendi ulceribus syphiliticis, pater priori tempore bis syphilide aegrotaverat. Infans haud multo post partum ulceribus faucium, latis condylomatibus ani et partium genitalium, conjunctivitate, psoriasis, rhagadibus, adenitide universali tentabatur. Periit anaemia. Lien solito minor, tenax, hepar ut in casu 4, et quidem in tubera tria divisum, inveniebatur.

Quae observationes non solum hepatis conditionem, sed etiam, quod imitatu dignum est, mortis causam et reliqua inter sectionem inventa, porro sexum, aetatem opificium, corporis constitutionem, neque minus syphiliticas affectiones primarias et secundarias innuunt. — Immuniterapiae contra syphilidem adhibitae, quoad fieri potuit non temere mentio facta est.

Secundum nonnullos enim auctores — quod in parentesi addere liceat — hydrargyrosis simplex aut cum syphilide complicata mutationes hepatis pathologicas in

ducit, quae vocibus sat vagis a Dick „chronicae,“ a Budd et Graves „scrophulosis intumescentiis similes,“ aut ab his non differentes affectiones, a Nicoll et Chapman „hepatis inflammationes,“ a Cheyne et Schönlein „processus icterum efficients“ describuntur. Bock etiam obiter adnotat, aegrotationem hepatis syphiliticam, quae vocatur, fortasse hydrargyrosi originem debere; idem tamen alibi syphiliticam ejus indolem defendere conatus est.

Temerarium autem est, alteri hypothesi alteram substituere, quum positiva de hepatis aegrotationibus ex hydrargyrosi nobis haud innotuerint.

Observationes medicorum in hydrargyri mineris collectae et experimenta in animalibus instituta hac ex parte haud dubie plus lucis nobis suppeditabunt, quam curatio hominum syphilide laborantium.

Quod ad casus illos quatuordecim pertinet, quorum nullum ipse vidi, salvis gratiis, quas viro clariss. Dr. Sig- mund debo, quod non solum eorum notitiam mecum communicavit, sed de pluribus aliis rebus etiam me edocuit, skepsin, qua nostro tempore opus est in rebus litterariis, jus mihi tribuere existimo, objectionibus nonnullis eos impugnandi, qui, observationibus illis innixi, syphilidis hepaticae existentiam tueri conantur.

Primum enim dolendum est, quod clariss. Dr. Sig- mund putaverit, simpliciter citatis commentationibus, a Dittrich editis descriptionem anatomico-pathologicam accuratiorem anomaliarum hepatis a se observatarum posse sarciri, quum Dittrich imagines affectionis hepaticae maxime discrepantes exhibuerit. Deinde fateri oportet, ad metiendam dignitatem statisticam quatuordecim

illarum observationum quoque eorum casuum numerum commemorari debere, in quibus, simili rerum conditione, hepatis affectio locum non habuit. Quorum casuum numerus, quum syphilidoclinice Vindobonensis uberrimam observandi materiem offerat, exiguus esse nequit. Dittrich etiam hoc omissionis peccatum commisit.

Denique autem, si quatuordecim illas morbi et sectionis historias intuemur, in anatomia pathologica jam dudum nomine „hepar granulatum,” „cirrhosis,” „hepatitis adhaesiva,” „pylephlebitis” etc. cognitae hepatis aegrotationes, strata cellulo-fibrosa formantes et a syphilide, uti constat, non pendentes, majore etiam praedilectione pro specificis processibus habitae sunt, quam Dittrich habuit.

Scire enim licet, clarissimum Sigmund indolem syphiliticam affectionis hepaticae a Dittrich descriptae, tam evidenter confirmatam existimare, ut degenerationem, de qua agitur, apud vivos adeo dignoscere audeat.

Oppolzer etiam talem diagnosin haud improbabilem opinatur.

Nunquam tamen equidem de prospero talium experimentorum eventu, aliquoties autem de infausto mihi persuasi ingenuaque fateor, eorum conamen praecox mihi videri, qui hoc jam tempore in diagnosticen recipi velint processum, qui ne civitatem quidem in anatomia pathologica obtinuit.

Imo non displicet mihi, civitatem illam prorsus ei derogare; in iis enim, quae sequuntur, principia exponam polemices, quae sententiam clarissimi Dittrich ejusque sectatorum de hepatis affectione saepius memorata impugnare conabitur.

Hepatis cicatrices, sive, ut proprius ad rem accedam, strata cellulo-fibrosa parenchymatis locum tenentia, ad frequentissima diuque cognita phaenomena pertinent. Sistunt enim indicia sanatorum vulnerum, rupturarum, apoplexiarum, abscessuum, cystarum et acephalocystarum ulceratarum, tuberculorum liquefactorum, fungorum medullarium reticulatorum, telangiectasiarum obsoletarum etc.

Verum etiam producta exhibent processuum morbosorum, per majores hepatis partes diffusorum, inter quos atrophia et inflammatione exortum hepar granulatum, adhaesiva hepatitis et hepatis atrophia, obliterante pylephlebitide inducta — utrum jure nec ne, quaeritur —, distingui solent.

Tela cellulo-fibrosa omnibus his in casibus ex fibris telae conjunctivae et elasticae veterioribus et recentioribus consistit.

Modo indeoles ejus est densa, solida, fibroides, imo callosa, resistentia chondrosyndesmoidea, scirrhosa, color sordido-albus, penuria ingens vasorum sanguiferorum, cultro incisa fremit et crepitat; modo rarer est, laceratu facilior, magis cellularis et vascularis, variis modis rubefacta.

Quod discrimin redunt ex quantitate fibrarum elasticarum nuclearium et elementorum recentium, ex gradu tensionis texturae et corrugationis hisce momentis inductae.

Ceteroquin minor consistentiae gradus in majorem potest abire, quamquam haec metamorphosis diurnitate mali necessaria non redditur; altera autem parte indeoles jam per se callosa producti pathologici formatione cellularum cartilaginearum et ossearum, depositione salium

carbonicorum et phosphoricorum ad chondroideam vel osteoideam duritiem evehi potest.

Adumbratio texturae telae conjunctivae, processu syphilitico in hepate exortae, quam Dittrich edidit, a descriptione supra posita non differt, quanquam haec ex operibus virorum clariss. Rokitansky et Engel, nec non ex propria hujusmodi casuum observatione collata est, in quibus nulla vestigia syphilidis synchronicae aderant, et aegrotationum strata cellulo-fibrosa supra memorata formantium aliqua, in primis — si hanc speciem statuendam censeas — „hepar granulatum“ certo dignosci poterat.

Leve quidem periculum, in textura telae cicaticosae hepatis syphilitici aliquid specifici inveniendi Dittrich fecit, parallelismum scilicet constituens inter corrugationem cicanticum hepatis et inter retractionem exquisite radiatam cicanticum ulceribus syphiliticis inductarum.

Gradus autem corrugationis cicanticum partim pendet ab ubertate fibrarum elasticarum nuclearium, quam nequaquam ad solam neoplasticen telae cellulosae syphiliticam deferre licet, partim a parenchymatis finitimi facultate cedendi, quae neque in hepate neque pene, neque faucibus mirifica est.

Agitur porro de materiarum non organisatarum, quae in tela hepatis cicatica insunt, quantitate. Uno altero ve processuum pathologicorum supra dictorum exorta strata cellulo-fibrosa — id quod minime necessarium est — cum gelatinosa colluvie telae conjunctivae recentis, extra-

vasatorum aut exsudatorum reliquias, quemlibet metamorphoseos progressivae aut regressivae gradum tenentes, vel capsula indutas vel interpositas, circumcludere queunt; in primis dubitandum non est, obsolescentiam harum reliquiarum in massam corneam rugosam, etiamsi minime totum callum valeat simulare, tamen ejus soliditatem posse adjuvare.

Ceterum pro telae cicatricosae origine ex diversis processibus jam relatis in eadem strata bilis inspissatae, acephalocystae maceratae, residua carcinomatis medullaris, concrementa tuberculosa, caseosa, cretacea nonnunquam deprehenduntur, quae residua ad tantam degenerationem evecta, si microscopio tandem submittuntur, nihil omnino characteristici offerunt.

Quod ad rem, Dittrich eadem tradit de „rudi exsudati parte in hepatis aegrotatione syphilitica“ eamque ut propriam partem telae cicatricosae cum singulari prae-dilectione describit.

Massam nempe describit sicciam, coloris sordido-cinerei, albescantis, flavidi, luridi, consistentiae tenacis coriaceae, quae constet dispersis granulis elementaribus, minutis guttulis adiposis, parvis compagibus cellularium nucleorum similibus, cellulis perspicuis, sed irregulariter angulatis, opacas lineas extremas habentibus, quasi corrugatis, salibus calcariis et copulativis materiis amorphis glebosis.

Quae exsudatorum reliquiae, si attributa earum intuemur, specifica producta existimari nequeunt.

Meditari nempe oportet, de reliquiarum istarum indole microscopium nihil certe dirimere posse, crebrum earum esse defectum in tela cicatrica, meque supra satis multa

apposuisse, quae multifariam, qua oriri queant, rationem indigitent.

Parallelismus, autem quem Dittrich, ad tuendam naturam specificam reliquiarum exsudati, inter rudem tenacemque earum indolem partemque gelatinoso-lardaceam exsudatorum syphiliticorum constituit, nimis infirmo inititur talo, quam ut disserere de eo liceat. Salva similitudine, quam Dittrich existimat se invenisse, tamen impugnandum est ratiocinium inde ductum, originem syphiliticam esse communem. Magis enim viri litterarii est, in causas proximas inquirere, quam remotas supponere. Si decies ex communibus productorum pathologicorum attributis ratiocinium duxeris, ne decies parallelismum illum eluseris, timendum est.

Quodsi rem ea, qua diximus, parte intuemur, tota clarissimi Dittrich theoria de varia natura exsudati, quod processui mali syphilitici in hepate subest, nec non de evolutionis illius historia, hypothesibus meris, etsi ingeniiosis, adnumeranda videtur.

Neque igitur e structurae telae cellulo-fibrosae syphiliticam hepatis affectionem excipientis, neque ex qualitate massarum haud organisatarum, tela illa inclusarum, clarissimi Dittrich effatum, se morbi processum antea incognitum adumbrare, comprobari poterit.

Primo tamen intuitu non alienum videtur, ex figuris, quas strata cellulo-fibrosa describunt, et ex mutationibus superficie hepatitis, de anatomia processus pathologici singularis, qui affectioni hepaticae a Dittrich adumbratae subsit, concludere.

At vero ante omnia adnotandum est, utrumque phae-

nomenon, alterum ab altero, separari non posse. Forma superficie hepaticae nunquam non mechanicas ob rationes a cicatricum parenchymatosarum forma pendet, nec quidquam interest, cuinam processui pathologico hae debeat originem.

Sola nimurum efficacitas directa cicatricis hepaticae in hujus visceris superficiem ea est, ut fovea super telae cellulo-fibrosae sede appareat. Haec enim tela per naturam suam semper minus occupat spatium, quam dis- pulsum parenchyma hepaticum, et substantiae defectus tali modo exortus fovea compensatur.

Latitudo igitur et altitudo loci subsidentis quantitate substantiae deficientis, i. e. extensitate et corrugationis gradu cicatricis parenchymatosae, definiuntur.

Quae si ad hepatis capsulam usque porrigitur, altitudo loci subsidentis non modo e substantiae defectu, sed etiam ex distentione quadam involucri peritonaealis in parenchymatis interiora pendet, quippe quod involucrum, continuam sistens membranam, loca opportuna, quibus adhaerescat, distentioni suppeditet.

Loca ergo subsidentia super cicatricibus, quae usque ad peritonaeum protenduntur, in universum profundiora sunt reliquis, nisi productis inflammationis capsulae hepaticae aliquatenus explanantur.

Quod ad peritonaei indolem in locis subsidentibus attinet, involucrum hepatis in iis aut normale appareat, aut corrugatum, turbidum, impellucidum, crassescens, quae attributa teste Rokitansky sine ullo processu inflammatorio ei impertiuntur; aut formationes pseudomembranosae, compagem habentes cellularem, cellulo-fibrosam, originem inflammatiorem, super capsula peritonaeali exi-

stunt, quae ut plurimum adhaesiones restiformes, in primis diaphragmati adnatas, exhibent.

Num vero haec quasi atrophica involucri peritonaealis conditio ab ea queat discerni, quam peritonitis ante longius tempus absoluta effecit, maxime ambiguum est.

Certe meditari oportet, adhaesiones non nisi accidentibus formae differentiis a pseudomembranis incumbentibus distingui et turbiditatem, impelluciditatem, crassitatem ab omnibus fere pro notis diagnosticis processuum inflammatoriorum tunicas serosas adgressorum haberi. Ceterum synchronica peritonaei affectio haud dubie tantum a sede magis minusve superficiali processus pathologici parenchymatosi, non ab ejus qualitate aut intensitate pendet.

Haud ignoramus, super majoribus adeo hepatis abscessibus paene nunquam adhaesiones partis correspondentis superficie hepaticae inveniri, dummodo suppuratio satis profundum locum tenuerit (Budd), fungum contra medullarem exiguum, qui ad peritonaeum usque protenditur, saepenumero per restes, serius demum in carcinoma degenerantes, cum vicinis partibus hoc ferruminat.

Item synchronica peritonaei affectio in iis tantum formationis cellulo-fibrosarum stratorum exemplis observatur in hepati, quibus illa ad peritonaeum usque porriguntur.

Adnotandum tamen est, pseudomembranas incubentes et adhaerentes, crassitatem, turbiditatem involueri peritonaealis viscerum et peritonitide universali et topica capsulae inflammatione citra synchronicam organorum aegrotationem saepenumero effici, quae accidentales complicationes aut vetustiores aut aequales aut recentiores cum pathologicis parenchymatis mutationibus existimari queant.

Forma fovearum, abnormi peritonaeo vestitarum, a sola earum latitudine et altitudine pendet; utroque momento etiam in doles parietum lateralium magis minusve globosa, aut in planitatem extensa determinatur.

Loca subsidentia modo valles aut foveas, modo crena aut sulcos exhibent, prout latiora vel angustiora telae cicatricosae strata iis subdita sunt, et numerus locorum subsidentium perinde ac notae, quas, si complura eorum exstant, hepatis superficie imprimunt, perfectissime determinantur numero et figuris, quae cicatricibus parenchymatosis describuntur.

Omnis formae variationes locorum subsidentium a fovea inde solitaria usque ad rete sulcatum laqueis angustis insigne, quod hepatis superficiem tenet, revera tantum eo efficiuntur, quod totidem varietates formae cicatricum existunt, nimirum a callo inde solitario ad effigiem trabecularem locularem cellulo-fibrosam.

Quodsi autem foveae, de quibus hic agitur, e cicatricibus secundum leges mere mechanicas proficiscuntur, eadem ratio quoque inter foveas et eminentias in hepatis superficie obvias locum habet.

Unusquisque nempe locus subsidens efficit, ut finitimum parenchyma eo protuberet modo, qui illius latitudini et altitudini respondet.

Quae eminentiae ex normali hepatis substantia consistunt et sano peritonaeo obducuntur, nisi capsitis vel parenchymatis infiltratio exstat, vel denique post huma telae cellulo-fibrosae formatio in ipsa eminentia emergit, quae tamen hanc foveae non plane altitudine aequalem reddit.

Fovea et protuberantia, vallis et collis formas sistunt

fundamentales, ad quas omnes figurae variationes superficie hepatica, telae cellulo-fibrosae formatione inductae, imo maxime variegatae reduci queunt.

Circa loca subsidentia foveolaria discreta, majora, minora, altiora, planiora, quae cicatricibus solitariis magis minusve voluminosis respondent, finitimum parenchyma in colliculos sublimiores, humiliores, majores aut minores, paulatim assurgentes, attollitur.

Foveae plus minus solitariae, longae, sulcatae, nominatim cicatricibus angustis ad peritonaeum usque pergentibus inductae, propter synchronicam involucri peritonealis aegrotationem paene speciem incisurarum, quae per hepar ductae sunt, sanatarum prae se ferentes, efficere solent, ut parenchyma ipsas ambiens instar colliculorum plus minus solitiorum, majorum aut minorum, acute assurgentium vel planorum, aut tuberum nunc obscuriorum nunc exquisitorum promineat.

Multi ampliores laqueos formantes sulci, analogi compagi reticulari cellulo-fibrosae, praecipue ad peritonaeum usque pergenti in hepatis profundioribus, formationem multarum insularum exiguarum, fossis cinctarum, in superficie causantur. Si sulci admodum sunt profundi, insulae illae tanquam cervix distringi queunt.

Sulci denique angustos habentes laqueos, qui compagi trabeculatae cellulo-fibrosae, loculari, constipatae originem debent, protuberantiam finitimi parenchymatis in granula plus minus ampla et superficie hepaticae conditionem efficiunt, quae aequabiliter aut inaequabiliter adenoides denotatur.

Variis autem modificationibus fovearum et eminentiarum innumerae transitiones inter has quatuor, quas exempli

causa attulimus, superficie hepaticae formationes existere possunt, quas certis categoriis complecti non licet.

Superficiei hepatis formae mutationes magis exquisitas apparere, si organon infiltrationis sedem exhibeat, ne longus sim, paucis verbis adnotare sufficiat.

Eandem ob rem silentio praetermittere placet sequelas, quas adhaesiones pseudomembranosae cum superficie hepaticae forma communicant, nec non earum fovearum et protuberantiarum disceptionem, quae fungo medullari, carcinomate fibroso, pseudoplasmatibus cavernosis, lipomatosis, echinococci saccis, abscessibus etc. efficiuntur eoque excellunt, quod his in casibus protuberantia foveae orientis causam, illa igitur morbosam, haec sanam telam exhibit. —

Hoc in periculo, formae mutationes superficie hepaticae tanquam sequelam immediatam, necessariam, mechanicam telae cellulo-fibrosae in parenchymate exortae interpretandi, pluris quam ipsum periculum, multis scilicet observationibus corrigendum et specialiori epicrisi submittendum, methodum aestimo, quae ei subest; haec enim recentiorum medicorum disquisitionibus essentialiter competit.

Eadem methodus in physiologia mechaniken gressus et haematodynamicen constituit, in diagnostice autem phænomena auscultatoria non ad pulmonum morbos, sed ad physicas leges reduxit. Causarum proximarum exploracionem praecipiens, per anatomicam pathologicam obnititur violentiae, quae pathologicae mutationi infertur, quam statistices minus amplae gratia, nexu causali non intellecto, pro pathognomonicō processus morbosī producto habendam censes, et admirationem superficie hepaticae tuberosae

vel aliam quamlibet speciem prae se ferentis non minus perfecte excludit, quam conatum, phaenomenon aliquod eam ob rem, quod mirum est, complexu haud minus abdito, „proteiformi,“ conditionum pathologicarum interpretandi, qui nullo non tempore vagis opinionibus asylum obtulit.

Quibus relatis ea, quae de specifica natura affectionis hepatis syphiliticae ex conditione superficie hepaticae ratiocinari licet, paucis comprehendi possunt.

Dittrich in syphilitica hepatis affectione superficiem ejus modo talem esse innuit, qualem Rokitansky, ut sequelam atrophiae hepatis partialis post pylephlebitidem adhaesivam ortae, nomine gradus tertii, supremi, connatae lobationi haud dissimilis, acquisitae lobationis hepatis descripserit, modo autem eminentias nodosas, tuberosas, circa loca cicatricibus contracta assurgententes, exhibere.

Ceterum Rokitansky harum etiam mentionem injecisse videtur. Non solum enim de lobatione plana, superficiali, hepatitidis adhaesivae chronicæ simplicis sequela, sed etiam de voluminosis protuberantiis, conglomeratione complurium granulationum, si hepar granulatum inflammatione vel atrophia exortum sit, inductis et majorem lobationis gradum afferentibus, disserit.

Rokitansky igitur, disserens de pylephlebitide adhaesiva, hepatitide adhaesiva simplice, hepatitide adhaesiva granulosa et atrophia granulante, easdem circiter superficie hepaticae formationes, quas Dittrich, descriptis.

Si supra exposita intuemur, dubitationem non recipit, quatuor illos processus pathologicos, tametsi similes praebant eventus, quod ad superficie hepaticae attinet, segregandos esse, dummodo, — quod infra disceptabimus — aliis ex momentis de natura eorum diversa concludi

possit. Mirandum igitur est, clarissimum Rokitansky, qui reliquos hepatis morbos secundum processus disponere tenuit, atrophiam hepatis partialem, ab ipso promulgatam, quae adhaesivam pylephlebitidem excipiat, facta atrophiarum mentione quidem commemorasse, sed sub „abnormitatibus ormae,“ capite ob synopsin practicam constituto, nomine hepatis lobati *κατ' ἔξοχην*,<sup>1</sup> quod neque a similitudine insigni, neque a graviore processus parte desumptum est quanquam etiam in venarum inflammationibus), exposuisse.

Variationibus aut analogiis formae superficiei hepatis superstrui nequeunt morbi species, quare etiam morborum omnia ab iis repetere non decet.

Secundum principia nimirum, quae supra enucleavimus, ex forma quidem superficiei hepaticae, si tela celulo-fibrosa in organi substantia exstat, de figuris per etiam illam parenchymati impressis, minime autem de processu morboso, qui productum pathologicum exhibuit, concludere possumus, nisi evenerit, ut cicatricosa conages certae figurae, ergo certa superficiei hepaticae esformitas, ab hac mechanice pendens et processu intacta, cuius naturam aliis argumentis probare liceat, satis aepe observata fuerit. Superficiei autem hepaticae inoles — non alienum videtur, de tali ratiocinio admodum — pro ejusmodi arguento haberi nequit.

Utrum forma telae cicatricosae in parenchymate per e diagnosin processus pathologici producentis constitutiatur, e sequente apparebit disquisitione, qua tota uuestio de autonomia et specifica indole affectionis hepaticae a Dittrich evulgatae, non temere continetur.

Si enchiridiis anatomico-pathologicis fidem habemus, singulari in casu fieri posse arbitrabimur, ut processum morbosum dignoscamus, quo strata cellulo-fibrosa in hepate exorta sint.

Minus hic de parvis illis cicatricibus, plane solitariis, quarum probabilem originem supra innui, quam de cicatricosa tela per majores hepatis partes extensa cogito. Rokitansky haec strata modo ex atrophia aut inflammatione repeti posse opinatur. Per atrophiam auctore Rokitansky tela conjunctiva pathologica primum in ea hepatis granulati forma occurrit, quae obliterazione vasorum sanguiferorum interlobularium, dum capillaria bilifera expansa et parietes crassescentes habentia pressionem exserunt, oriri dicitur; deinde in obsolescenti aorgani partiali, nomine „hepatis lobati“ supra designata, quae post secundariam, adhaesivam pylephlebitidem, singulos venae portarum ramos impervios reddentem in hepatis segmentis ad venarum obturatarum aream pertinentibus observata esse traditur.

Ex processu inflammatorio strata callosa teste Rokitansky in secunda granulationis hepatis forma prodeunt, quam hepatitidi adhaesivae adscribit. Idem tamen majores etiam, corrugantes, haud reticulares, solidos callos ab adhaesiva inflammatione derivat. Utrum inter hepatitidem adhaesivam, quae granulatum hepar inducit, et inter eam quae hunc exitum non sortitur, aliud statuat discrimen, quam accidentale figurarum producti inflammationis organisati, non liquet.

Budd fere omnes formationes cellulo fibrosas in hepate inflammatione adhaesiva effectas putat, quare *unantum* granulationis hepatis speciem, inflammatoriam, sta-

tuit, qua exsudatum circa venae portarum ramos diffundi opinatur. Quod ad telae conjunctivae genesin atrophicam, quae obliterantem pylephlebitidem excipiat, Budd cum Rokitansky plane consentit.

Engel etiam hepatitidem adhaesivam pro causa plurimorum hepatis callorum cellulo-fibrosorum habet, attamen ab hepatis granulatione atrophiam ejusdem cum salebrosa superficie discernit, quippe qui processus per atrophiam inducat telam conjunctivam.

Ceterum Engel, granulati hepatis mentionem faciens, fieri posse innuit, ut organisata tela conjunctiva ex non inflammatorio exsudato, sed per stasin orto, prodeat.

Porro alii suspicuntur, exsudatum illud a stagnatione in vena cava, itaque in venis hepaticis, proficisci.

Alii denique de hypertrophia telae conjunctivae interlobularis normalis, ut probabili hepatis granulati causa, disserunt. —

Theoriam intuentes fateri sane debemus, telam conjunctivam pathologicam dupli processu in substantiae hepaticae normalis locum substitui posse.

Vel enim aliqua de causa, e. gr. affluxus sanguinis anomaliis, substantia hepatica interit et plasma, quod aliis sub conditionibus ei reproducenda impenditur, in telam conjunctivam organisatur (secundaria formatio telae conjunctivae); vel exsudatum aliquod plasticum, quantitate aut qualitate anomalum, inflammatorio aliove processu efficitur, quod partim praesentia sua (Henle), partim seriore metamorphosi in telam conjunctivam hepatis substantiam finimam delet (primaria telae conjunctivae formatio).

Noli autem existimare, hoc discrimen veram dignitatem habere. Evidem contra fieri nunquam posse opinor,

ut primariam aut secundariam originem portionis cuiusdam telae cellulo-fibrosae in hepate dignoscamus; neque concreto in casu dicere licet, hanc illamve compagem callosam inflammatione, atrophia, stasi vel hypertrophia exortam esse.

Textura nempe producti pathologici, de quo retulimus, omnibus sub conditionibus illis ejusdem est indolis, quam supra fusius exposuimus, et de processu efficiente ne minimum quidem lucis nobis suppeditat.

Reliqua autem argumenta, quibus auctores innituntur, ad dignoscendam originem stratorum cellulo-fibrosorum in morbi speciebus modo relatis, examen criticum strenuus haud ferunt. Repudiatis momentis illis diagnosticis specierum morbi dictarum existentiam impugnari, elucet. Etenim ipsa illa momenta harum specierum fundamentum constituunt et Rokitansky modo eapropter, quum ex quibusdam mutationibus capsulae hepaticae de natura atrofica telae conjunctivae, in hepatis parenchymate simul exortae, in prima hepatis granulati specie concluserit, generatim hanc morbi formam constituit.

Respectu ratiociniorum, quoad „syphiliticam“ hepatis affectionem inde ducendorum, breviter adumbrare liceat eventus, e critico argumenti superioris examine redundantes et haeresin fere resipientes, qui, si accuratius per vestigentur, integri libelli materiem suppeditare possint:

Ambae granulationis hepatis species, quas Rokitansky statuit, in unam redigendae sunt. Solum momentum, ex quo de earum differente indole concludere possis, habitus peritonaei hepatici vel atrophicus vel inflammatorius praebet. At jam supra adnotavi, utramque involucri peritonaealis conditionem distineri non posse.

Utrum in hepatis granulatione tela callosa per atrophiam an per inflammationem, et si per hanc, num per inflammationem circa venae portarum ramos efficiatur, ignoramus; haud magis compertum habemus, numne fortasse organisatione exsudati per stasin, praesertim in venis hepaticis, exorti proferatur. Frequens morborum cordis complicatio cum hepate granulato non sufficit, ut sententiae modo memoratae suffragemur; hepatis enim granulatio teste Budd saepius absque cordis morbis in potatorum dyscrasia occurrit.

Porro hepatis granulationes multo sunt majores, quam quae singulis lobulis imputari possint (Gerlach), id quod ad dijudicandam hypothesis de hypertrophic tela conjunctiva interlobulari, quae praeterea fortasse nunquam (Henle, Vogel), aut fibrarum tantum singularium forma occurrit, probe notandum est.

Positiva igitur de processu, qui telae cellulo-fibrosae formationi in hepate subest, nondum innotuerunt.

Engel differentiam inter „atrophiam cum salebrosa superficie“ et granulationem hepatis non argumentis probavit, ergo disertam hujus differentiae negationem supervacuam reddidit.

Utrum porro calli non reticulati, majores, solidi, quos Rokitansky simplici hepatiti adhaesivae imputat, revera inflammatorio an alio processu effiantur, haud magis cognitum est.

Denique existentia atrophiae partialis post obliterarem pylephlebitidem quam maxime addubitandam puto. Non solum enim obturati venae portarum rami, ut Dittrich recte adnotavit, serius quam difficillime comnonstrari possunt, sed etiam in casibus nihil syphilitici

offerentibus de synchronica existentia callorum plane irregularium cum iis, quae aliquatenus directionem illarum a Rokitansky in partiali atrophia descriptarum sequi videbantur, mihi persuasi. Ablata autem sede characteristica, unicum corruit fulerum, quo tota constructio pylephlebitidis adhaesivae et opinio, quae post hanc aegrotationem compagm trabecularem cellulo-fibrosam atrophia indui arguit, sustentantur. —

Sequitur ergo, de processibus, e quibus tela illa hepatis pathologica emergit, nihil nobis innotuisse, utramque granulationis hepatis speciem, atrophiam cum salebrosa superficie, adhaesivam hepatitisdem, partiale hepatis atrophiam post pylephlebitidem et solitarias cicatrices hepatis perexiguas arcto inter se commercio cohaerere et omnes telae conjunctivae pathologicae formationes in hepatem, donec meliora edocti simus, ex processu minime solum ex miris figurarum, quas describunt, differentiis posse discerni.

Fundamentales hujusmodi figurae, salvis diversissimis harum formationum transitionibus, existimari queunt: cicatrices minores plane solitariae, foci maiores, solidi callosi vel cum vel sine stolonibus, tela reticularis fibroidea trabecularis.

Quibus expositis fieri poterit, ut paucis verbis indicemus, quis syphiliticae hepatis affectioni, quae vocatus cum reliquis hujus organi aegrotationibus eam conferat locus assignandus sit.

Hepatis conditio a Dittrich descripta certe inter eam morborum species, telam cellulo-fibrosam formantes, qua hactenus in anatomia pathologica valuerunt, referri neque Neque enim omnino pro atrophia partiali, nec pylephle-

bitide adhaesiva, i. e. non plane pro „hepate lobato,” neque simplici hepatide, nec proprie pro hepatis granulatione minoris gradu haberi potest, quatenus certe Rokitansky tres hasce morbi species adumbravit. Huic nempe affectioni syphilitiae omnia desunt criteria, quae signa pathognomonica trium illarum specierum existimari solent. Aegrotatio porro hepatis syphilitica telae conjunctivae figuræ profert, iis similes, quae et hepatitidem adhaesivam, et pylephlebitidem obliterantem, et hepatis granulationem sequuntur.

Ut paucis dicam, syphilitica hepatis degeneratio in nullam morbi effigiem, qualiscunque in libris describitur plane quadrat.

Causa autem non cernitur in „mira“ processus illitus indole syphilitica, sed in eo, quod illae morbi effigies naturae haud adaptatae, verum potius arte compositae sunt.

Non aliter — si profitemur quae scimus — differunt, ac producti cellulo-fibrosi formæ variationibus exiguis et multas transitiones offerentibus, et ii tantum, qui vanas hypotheses sectantur, omnia nexus alentia diduxerunt, ita ut, in dignoscenda quavis morbi specie, telae conjunctivae strata conformante, magnus numerus effatorum minime probatorum, quod attinet ad figuræ telae cellulo-fibrosæ processumque causalem, venditari soleat. —

Dittrich igitur hoc premebat dilemmate: aut novum morbum constitui, vel morbi species hic considerandas cum affinibus nonnullis ut praeter naturales everti oportebat.

Dittrich priorem viam rectam putans ordines in anatomia pathologica valentes nisi levioribus objectionibus non aggressus, repugnantiam affectionis a se observatae

contra ordines illos, dyscrasiae syphiliticae synchronicae imputavit, juxta quam accidentalem complicationem transitiones naturales inter morbi species a viris eruditis ductas primo ab ipso observatae sunt.

Credo nempe, ut aperte fatear, eo tempore, quo Dittrich observationes suas instituit, hepatis morbos strata cellulo-fibrosa formantes, id quod passim accidit, Pragae viguisse et syphilide laborantibus quoque haud pepercisse.

Ad hanc suspicionem protinus refutandam, opus erat, ut Dittrich praeter 79 casus a se prolatos etiam sectiones eodem tempore Pragae institutas evulgaret, quae strata cellulo-fibrosa absque syphilide synchronica, nec non eas, quae vigente syphilide nullam obtulerunt telam callosam.

Haec referre statisticen exactam condendi necessitas eum jussit.

Aegroti in Indicis nosocomiis fere omnes praeter alios morbos telae conjunctivae strata figurae diversissimae in hepate exhibent (Budd), quod morbis hepaticis in India orientali frequentissimis imputandum est. Sectiones hominum syphiliticorum illis in nosocomiis factae, sane clarissimi Dittrich sententiam confirmarent, at sectiones aliorum aegrotantium illic mortuorum, telam callosam hepatis non soli syphilidi competere, mox argumentarentur.

Eundem eventum sectionibus numerosis aliis in terris factis obtinebimus, nisi sectiones eo ipso tempore instuantur, quo hepatis morbi frequenter dominantur.

Totius ergo quaestيونis cardo eatenus mutatus est, ut ad clarissimi Dittrich effatum, se nunquam exquisitam cirrhosin cum syphilitica hepatis affectione compli-

catum invenisse, respondere liceat, inter hunc et illum morbum nullum processus discriminem, differentiam solum haud essentialiem inter telae conjunctivae figuram cognitam nobis et cirrhosis minoris gradus eandem fere esse ac syphiliticam degenerationem.

Praeparata Musei pathologico-anatomici Vindobonensis, quae ad demonstrandam syphiliticam hepatis affectionem nunc adhibentur, praeter illud, quod connatam, peritonaei duplicatura formatam labationem exhibit, satis evidenter eodem jure nomen vetustius „cirrhosis minoris majorisve gradus“, „pylephlebitis“ etc. retinere possunt.

Nec non in cadavere, diagnosin differentialem inter degenerationem syphiliticam et illas morbi species saepe nominatas constitui non posse, nobis persuademus; imo haec ipsa impossibilitas in area anatomiae pathologicae practicae dubitationes supra enucleatas primum nobis evocavit.

Jam vero si probatum est, hepatis affectionem a Dittrich propositam non magis a processibus dudum cognitis callos cellulo-fibrosos efficientibus distingui posse, quam hi inter se differant, septuaginta novem casibus plura observationum millia opponuntur, quae telam callosam nomine „cirrhosis“, „hepar granulatum“, „hepatitis adhaesiva“, „pylephlebitis“, absque synchrona syphilide exhibuerunt. —

Istis statistices, quae clariss. Dittrich observationibus subest, dignitas infringitur.

Quam statisticen ad fixam quaestionem haud referri, probe elucet, quamobrem ei diffidere oportet.

Exacta quidem statistice ultima medicorum ratio est, at statistice ad quaestionem non fixam accommodata plurimum detrimenti pathologiae infert. —

Polemica hujus opusculi, ante perfectam — quod in-

genue fateor — maturitatem editi, eo enitebatur, ut propugnaculum statisticum idque firmissimum, quo clariss. Dittrich sententias suas munivit, subverteretur, quem vero scopum varias modo per ambages assequi potuimus.

Fortasse alias impugnandi vias meliore successu ingredi licebit.

De unaquaque famen polemice admonere oportet, quae a syphilidologia specifica arma promit; nam hoc in casu ad quaestionem recurratur necesse est: „syphiliticum nec ne?“

Qui autem nostro tempore in adhibendo praedicato „syphiliticum“ rationale quidquam sese invenire posse sperant non minus frustra conantur, quam ii, qui complures ante annos „psoricum“ definendi periculum fecerunt.

Vox „syphiliticum“ mira excellit flexilitate detestabilique modo sese obtrudit; foras ejecta per hanc illam portam revertitur, eandemque recentioris syphilodologiae incrementis esse impedimento, haud temere opinor.

## V I T A.

Ego Fridericus Boehmer, confessioni addictus evangelicae, natus sum Sedini, patre Guilelmo, matre Ernestina e gente Giesebrecht, qua sola, quum pater ante hos decem annos mortuus sit, superstite gaudeo.

Primis literarum elementis imbutus Gymnasia primum Sedinense, postea Joachimicum Berolinense adii, quae tunc auspiciis Ill. Drr. Hasselbach et Meineke florerunt.

Maturitatis testimonio instructus hieme ineunte anni MDCCCXLVII literarum universitatem aggressus sum Halensem, ubi ab Ill. Volkmann, t. t. prorectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, per tria semestria studiis medicis operam navavi.

Absoluto deinde anno et semestri in academia Heidelbergensi, Vindobonam petii, almam illam medicae artis patronam.

Ineunte anno MDCCCXLVII Berolinum me contuli, ubi per Ill. Dieterici, prorectorem magnificent civitate academica donatus, tentamina et philosophicum et medicum atque examen rigorosum rite superavi.

Per quod studiorum tempus docuerunt me: Historiam philosophiae Ill. Erdmann, physicen Ill. Hankel; mineralogiam Ill. Weiss; botanicen Ill. de Schlechten-dahl; chemiam Marchand, Ill. Gmelin, Cel. Heller; zoologiam Ill. Burmeister; artem cadavera rite secandi, anatomiam specialem cunctam, microscopicam, topographicam Ill. d'Alton, Ill. Henle, Ill. Hyrtl; physiogiam Ill. Volkmann; chirurgiam, ophthalmologiam, operationes chirurgicas in cadaveribus instituendas Ill. Chelius; anatomiam pathologicam Ill. Henle, Ill. Rokitansky, Cel. Heschl, Cel. Wedl; pathologiam et therapiam specialem cunctam, morborum syphiliticorum, cutis, recens natorum Ill. Pfeuffer, Ill. Sigmund, Ill. Hebra, Cel. Bednar; artem obstetriciam Ill. Naegelé, operationes obstetricias in cadaveribus instituendas Cel. Braun. Scholis clinicis interfui medicis Ill. Pfeuffer, Ill. Puchelt, Ill. Oppolzer, Ill. Skoda, Ill. Hebra, Cel. Bednar; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Chelius; obstetriciis Ill. Klein.

Quibus omnibus viris optime de me meritis, nec non Ill. Dr. Behrend et Ill. Dr. Haertl, quibus permulta debo, quam maximas ago semperque habebo gratias.

## **T H E S S.**

---

**In neonatorum hepate nonnunquam cicatrices  
cellulo-fibrosae reperiuntur.**

**Tussis convulsiva minime Neurosis.**

**Desiderantur valde in Borussia brephotrophia.**

---

... 10. *Leucostomum pectinatum* Schleicher  
celloso-epicrassate levigata.

3. *Tunisia conularia* minima Memoria.  
3. *Dendroseris aculeata* in Horneris preibotropica  
H. Sander; H. Reichenb.; Cet. Beddoe; chilie  
Gmelin; H. Schlesinger; H. Schleicher; Schultes.

... 10. *Leucostomum pectinatum* Schleicher, nos. 10  
Beddoe et H. Dr. Hayti, quibus percuti  
maximas quo tempore habebo gravem.